

Q.K.
515,
31.

X. 186 3262

COMMENTATIO

De origine & incremento

GYMNASII MARTINIANI BRUNSVIGENSIS,

Actui oratorio,

De

hodiernis rei scholasticæ fatis,

XXIII. Octobris 1695., die, annoque scholæ nostræ
seculari,

instituendo, præmissa,

ad quem

Scholarum Mæcenates & Fautores,

in horam VIII. matutinam,

ea, qua par est, observantia, officiose amanterq;

invitat,

JOHANNES ALBERTUS GEBHARDI,

Rector Mart.

BRUNSVIGÆ,

Literis ZILLIGERIANIS.



II g
641

COMMENTARIUS

GYMNASII MAR-

THANENSIS

PHYSICAE

ACADEMIAE

PHYSICAE

SCHOLAE MAR-

THANENSIS





Nsignis est dies X. Calend.

Novembr. cum multis aliis rebus, tum inprimis festo Judæorum, quod in illum incidebat. שמחת תורה h. e. lætitiæ legis dixerent, quod finitam in synagogis Mosis lectionem eo ipso iterum auspicabantur. Venit mihi in mentem ejus consuetudinis, quoties scholæ nostræ primordia cogito, cui superioris seculi eodem XXIII. Octobris in amœnissima ocri amnis ripa majores nostri locum, ubi auspicato cum juventute agi posset, in augurarunt. Indicat hoc ipsum epigraphæ superliminari interiori aureis ductibus exsculpta, quæ ita habet:

Ampliss. senatus hujus Reipubl. cum R. Ministerio & Dn. Scholarchis hoc Gymnasium implorato Dei presidio, pietati Musis-que dicatum, toto cœtu scholastico primum introducto, solenniter inauguravit X. Cal. Novembr. 1595.

Enimvero fuit ea patrum nostrorum, rerum bene gerendarum ardor quondam ac cupiditas, ut privatim quidem parce ac duriter viverent, ad rem attenti, sumtusque domesticos ad frugalitatem sedulo revocantes; quod si autem auctoritas ageretur publica, augustissime pro re sua facerent impensas. Quod qui negare velit, oculos circumferat per hoc oppidum, ubi magnificentia Brunsvicensis vestigia passim reperiet. Inprimis autem ad extruendam nominis immortalitatem fundamentum firmum ac solidum jecere exædificando splendidum ac illustre Gymnasium Martinianum. Rectum enim pretium olim his ar-

tibus statutum fuit, quæ hoc tempore vulgo sordent, a
plerisque certe ne flocci quidem penduntur. Artes dico
liberales, quibus qui animum suum non imbuit, barba-
rus est, & merum rus, ne quid gravius dicam. Quippe

didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec finit esse feros.

Igitur cum renatis melioribus literis situs barbariei,
studio ac labore virorum eruditorum hinc & inde deterge-
retur, existimarunt majores nostri, alienum a se esse de-
bere, quarum rerum studio potior germaniæ pars tene-
retur, eas non pro virili sua adjuvare. Et erat mihi qui-
dem in animo, fata rei scholasticæ, excussis omnibus re-
tro seculis, una cum patriæ re literaria, his paginis in con-
spectum dare. Sed quod potissima monumentorum, quæ
huc faciunt, parte adhuc deficiat, illa quidem visus mi-
hi sum sic satis indagasse, integro autem voto potiri non
licuit, quas proinde curas alii tempori reservo. Quod si
qui sunt, qui hæc talia non fastidiant, illi reminiscendo
mecum recognoscant, superiori ætate, quicquid erudi-
tionis superfuerit, tenue illud & barbariei sordibus fœde
collutulatum, maximam partem intra monasteriorum
mœnia delituisse.

Eorum plerisque philologica, uti videtur, curæ dun-
taxat fuerunt, cum catechesi Christiana, & rudiori Ma-
theseos parte, quam computum vocarunt ecclesiasti-
cum: paucis solidiori Theologiæ philosophiæque va-
cantibus. Nisi quod sec. XIII. exemplo Franciscanorum
& Dominicanorum reliqui etiam Monachi ad hanc erudi-
tionis partem animum appulerunt, incertum, emolumen-
to majore an damno, cum ex eo tempore Theologiæ do-
ctores limites disciplinarum egressi, frequentissimas *αὐτῶν τῶν*
φιλοσοφικὰ μεταβάσεις commiserint. Quæ Magdeburgensi
tem-

templo cathedrali adjuncta schola fuit, pueris olim erudiendis vacasse, colligimus ex *Dithmari lib. III, Chron.*

Corbeiense cœnobium ejusdem conditionis fuisse, legenti *Chronicon Lezneri* patebit. Adde, quod Conringius existimat, monachos inde emissos, quorum duo episcopatu Bremensi præfuerunt, licet passim eruditissimi habeantur, ultra catechesin theologiam vix sapuisse, pietateque magis, quam rerum cognitione inclaruisse. Itaque rarissimæ per hunc terrarum tractum scholæ publicæ floruerunt, Monachis sibi solis id negotii dari credentibus, ut grandi pretio pueros juxta senesque delirare docerent. Ejus rei testem habemus *Alberzum Cranzium metrop. l. III. c. 43.* — *Quæ res apud nostrates pene hesternæ est. Nam nulla est in Saxoniam publica schola, quæ centesimum longe superet annum.*

Obiit autem Crantzius anno superioris seculi XVII., a quo tempore ulterius ad nostræ scholæ primordia sunt anni admodum centum. Ante ea tempora, quam hæc aperiretur, tres omnino ludi Brunsvigæ fuerunt. Alterum quidem monachi Ægidiani moderabantur, duo autem reliqui ad D. Blasii Cyriacique florebant. Et hos quidem antiquissimos fuisse, cœpisseque cum ipsis templis & cœnobis, admodum verisimile est. *Helmoldus* auctor *Chronici Slavorum*, seculi XII. scriptor, in idem temporis spatium congruens, quo Henricus Leo templum Blasianum exædificavit, laudat Geroldum ludi Brunsvicensis ad D. Blasii gubernatorem. Atque in horum disciplinam filios suos tradebant, quotquot ex civibus ad humanitatem fingi suos volebant, aut Monachicæ vitæ præceptis mature imbui. Isti enim usui inprimis consecratæ erant hæc scholæ, de quo dubitare non potest, nisi qui, quam rudia ista bonarum artium secula fuerint, juxta

cum ignarissimis ignoret. Qua de re operæ pretium est
audire *Paulum Langium in Chronico Cizicensi* ita differen-
tem. Reges & principes caterique nobiles ad discendum Dei
timorem liberos suos monachis intra claustra tradiderunt
instituendos, quorum (NB.) plerique manentes sub regula,
disciplina magistrorum in viros creverunt sanctissimos, alii per
parentes revocati, moderatores Reip. strenui & prudentissimi
facti sunt.

Videtur autem cives successu temporum ineptæ in-
stitutionis tædium cepisse, subiitque eos cupiditas, suis
sumtibus publicas scholas aperiendi. Quod quidem fe-
cere ad exemplum reliquarum urbium, quas de re litera-
ria bene merendi derepente quasi religio incesit, ut ab-
ductos a Monachorum disciplina pueros, eruditioribus,
bonis artibus instruendos committerent. Fecere tum,
quod *Rudolphus Agricola* Senatui Antwerpiensi summa tum
fide tum facundia suadere conatur in epistola quadam, cu-
jus meminit *Erasmus Chiliad. I. cent. IV. p. 146. ut ludo litera-
rio proficiant aliquem, qui bonas literas didicerit, nec, uti solent,
infanti theologo aut physico id muneris committant: qui cum
se quacunque de re dicere posse confidat, ipsum dicere quid sit,
ignoret. Quid enim (addit Erasmus) is faciet in ludo lite-
rario? profecto, ut græco diverbio utar, id ipsum quod canis in
balneo. Neque tamen sua auctoritate facere hoc illis tum
licebat. Pontifices enim Romani Europæ per ea tempo-
ra ita dominabantur, ut de sacris ne manum quidem,
quod ajunt, movere cuiquam liceret, scholasticumque omne,
quæ verba *Conringius* alicubi habet, de antiq. acad., ad Roma-
næ curiæ dirionem pertinere vulgo judicaretur. Itaque missis
Romam literis Senatus Brunsvicensis Pontificem oravit
veniam constituendi ludi literarii. Erat is Johannes
XXIII. ante inaugurationem *Balthasar Cossa*, homo
multis*

multis flagitiis infamis, qui omnibus morum vitiis eam contumeliam meritus est, ut in concilio Constantiensi magno Episcoporum consensu de pontificiæ dignitatis gradu deiceretur. Primo omnia obtinuerunt cives summa Pontificis gratia. Sed cum D. Blasii Cyriacique capitulares, Monachiqve Ægidiani, quorum intererat, postulata eorum rejici, missis legatis dicam civitati impingerent, id effectum est in foro Romano, ut iudicatum penitus rescinderetur, civesqve in petenda scholarum constituendarum libertate repulsam ferrent. Oppressi itaqve gratia adversariorum, à causa destiterunt, donec remoto Johanne ecclesiæ regimen Ottoni Columnæ committeretur, qui à die inaugurali Martini V. nomen assumpsit. Commutato autem iudice, adversarii causa cedere, potestasque facta est civibus, constitutis suo arbitratu ludis literariis, salutis liberorum suorum prospiciendi. Fidem huic rei facimus producto in medium diplomate pontificio, quod Ampl^{mus} Senatus Brunf., quo animo est in bonas literas, excusso grammatophylacio, exhibendum mihi nuper curavit. Quarum literarum exemplum hic exscribere non alienum ab nostro instituto existimavi.

MARTINUS EPISCOPUS,
SERVVS SERVORVM DEI Dilectis
filiis Proconsulibus, Consulibus & universitati Opidi
Brunswicensis, Hildesemen. & Halberstaden. Dioces.
Salutem & Apostolicam benedictionem. Sincerae devo-
tionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam,
non indignè meretur, ut petitionibus vestris, illis præser-
tim, per quæ singulis literarum quærendi studia, præstatur
opor-

oportunitas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter
annuamus. Dudum siquidem venerabili fratri nostro
Baldasari Episcopo Tusculan. in sua obedientia, de qua
partes illæ erant, tunc Johanni XXIII. nuncupato, pro
parte vestra exposito, Quod, licet in Opido vestro Brunswicensi,
Hildesemen. & Halberstadens. Diœces. Septem
seu plures, & præsertim Sancti Martini, & Sanctæ Catharinæ,
inter alias non mediocres parochiales Ecclesiæ
existerent, tamen de quadam consuetudine, quæ, ut ab
aliquibus asserebatur, per eundem Episcopum tunc Johannem
XXIII. confirmata fuerat, duæ duntaxat Scholæ
pro imbuendis juvenibus in primitivis & Scholasticis disciplinis,
una videlicet apud Monasterium sancti Egidii ordinis sancti Benedicti,
& alia apud sancti Blasii infra,
& tertia apud sancti Cyriaci extra muros dicti Opidi Ecclesias
consisterent, quodque nonnulli pueri Opidanorum
& incolarum ejusdem Opidi in ipsis disciplinis imbuendi,
propter nimiam distantiam & frigus intensum, quod hyemali
tempore in partibus illis communiter vigeat, Scholæ ipsas
frequenter negligenter, in eorundem Opidanorum
& incolarum non modicum præjudicium atque damnum,
idem Episcopus tunc Johannes XXIII. per suas literas
statuit & etiam ordinavit, quod etiam apud quamlibet
ex sancti Martini & sanctæ Catharinæ Ecclesiis,
hujusmodi consimiles Scholæ institui & teneri, præfati-
que pueri in eisdem instituendis & tenendis Scholis, in
Gram-

Grammaticalibus & hujusmodi primitivis disciplinis eru-
diri valerent, prout in ipsis literis plenius continetur.
Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra
petitio subjungebat, Licet dilecti filii Luderus Rottorp,
qui se gerit pro Scholastico Sancti Blasii, in illa qua vo-
bis tres, ac Decanus & Capitulum Sancti Cyriaci Eccle-
siarum, Abbas quoque & Conventus Monasterii predicto-
rum, dictarum literarum cassationi & irritationi, per
eundem Episcopum tunc Johannem XXIII. eorum asser-
tione factis, ut praesumitur, potissimè inherentes, in ea
qua similiter vobis occasione instituendarum Scholarum
predictarum moverant causis, & in palatio causarum apo-
stolico diutius ventilatis, etiam totidem pro se & contra
Vos diffinitivas, per quas etiam in Expensis in hujusmodi
causa factis, condemnati fuistis, & quibus juxta requisi-
tionem desuper vobis factam parere curastis, sententias re-
portarint, Cause tamen propter quas institutio Scholarum
fieri deberet, hujusmodi subsistant viribus, expressè in li-
teris memoratis, pro parte vestra Nobis humiliter fuit sup-
plicatum, ut super praemissis oportunè providere de beni-
gnitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi
per quas Scientiarum Viros, consilii maturitate conspi-
cuos, Virtutum dignitatumque ornatibus redimitos effi-
cientium fons, ad Dei laudem & gloriam, ac divini au-
gmentum cultus aperiri & discendi prospicitur, Supplica-
tionibus inclinati, Vobis quod unam apud sancti Marti-
ni, & aliam apud sanctae Catharinae Ecclesias predictas,

B

pro

pro hujusmodi in ejusdem primitivis scientiis erudiendis & imbuendis Iuvenibus, absque requisitione licentiæ vel consensus cujusvis, erigere, & per personas idoneas regi & gubernari facere, liberè ac licitè valeatis, auctoritate Apostolica tenore presentium, de speciali gratia indulgemus, Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Florentiæ XVI. Kl. Octobris Pontificatus nostri Anno secundo.

Congruit hoc tempus, anni 1419. diei XVI. Septemb. Ipsum Johannis diploma, cujus mentio fit his literis, in medio est, sed quod ipsa ejus verba hic recitantur, id exhibere supersedi. Quamquam autem adhuc non liquet, quo demum anno cœptæ fuerint scholæ extrui, credibile tamen est, nihil aut parum certe moræ huic negotio intercessisse. Atque Martinianæ quidem sedem ac domicilium assignarunt in vico D. Jacobi, quæ ædes hodieque appellantur die alte Schule. Qui quidem locus quamquam magnæ turbæ capax non est, suffecisse tamen videtur discipulorum numero, qui illuc in disciplinam quotidie mittebantur. Neque enim erat ea seculi istius ratio, ut ad audiendos bonarum artium Præceptores catervatim pueri juvenesque confluerent. Cui rei indicium faciunt *Senatus Brunsv. constitutiones Ecclesiasticæ*, promulgatæ

gatae anno M D XXXI. auctore Bugenhagio. Illae uni-
versum discipulorum gregem trifariam duntaxat partiun-
tur, ita tamen, ut tertiae classi nonnisi in Martiniana lo-
cus esset, duae sequiores utrobiq; erudirentur. Quod si
quis ita profecisset, ut in supremum ordinem adscribi me-
reretur, Catharinianam cum hac nostra commutare ius-
sus est, idq; arbitrato Superintendentis, qui, more hodieq;
usitato, bis in anno scholas obiens delectum inge-
niorum profectuumq; agebat. Porro autem, attributi
nostrae fuerunt tres urbis vici, noster, Saccanus, & quem
veterem vocant. Neq; enim qui Aegidianam modera-
retur, ejectis ex urbe Monachis, supererat. Videtur ta-
men mature ab ista consuetudine descitum esse, inprimis,
cum efflorescente indies magis magisque meliorum litera-
rum cultu, ludorum frequentia passim incresceret.

Quae res fecit, ut cum bonae artes angustius, quam
pro isto coetu, minusq; honeste habitarent, de schola ex an-
giporto Jacobaeo, alio transferenda rationes inirentur.
Habitabat in proxima platea Henningus Sanger civis
Brunsvicensis, cerevisia coqvenda qvæstum exercens,
qui, cum domum venalem haberet, visus fuit locus reci-
piendae scholae percommodus esse. Area enim sat am-
pla erat. Tum vero ripae amoenitas & in adjacentes hor-
tos prospectus, situsq; loci ab arbitrio convicioq; ho-
minum remotissimus, facile unumqvemq; ad commo-
randum invitabant. Emtas itaq; aedes funditus de-
moliti, templi Martiniani aediles, qui tantae rei curam pa-
riter ac sumtus in se susceperant, alias splendidiore refus-
citare magnis animis instituerunt. Exorsi sunt hoc opus
anno superioris seculi 92. & coronidem imposuerunt an-
no 95. Illum indicant literae, qva parte aedes intrantur, ex-
teriori muro insculptae. Seqventem vero parietis aquilo-

naris inscriptio, grandibus literis iisque aureis efful-
gens.

GYMNASIUM S. MARTINI EXÆDIFICATUM

Anno M D XCIII.

Ultimum præfert superliminare exterius. Quæ epi-
graphie quoniam ipsos ædiles indicat, non abs re erit, eam
huc apponere.

D. O. M. T. E. U. S.

*Sumtib. Ampliff. Senatus, & ædis sac. D. Mart. Liberalitate
quoq; civium & munificentia artes liberales foventium, Conrad.
DORRING, Cam. & HENR. ab ADENSTEDT X, vir,
ædil. sac. hoc Gymnasium literarium à fundamentis intra trien-
nium. F. C. Anno 1595.*

Qui structuram ipsam contemplantur, facile cense-
bit, ad quantos sumtus ea fuerit progressa. Præcipuam
partem tulit ædes D. Martini, quæ tamen cum nimium
gravaretur impendiis, noluit Ampl^{mus} Senatus sumtu
expers esse, suppeditatoque argento large effuseque libe-
ralitatem exercuit. Neque defuerunt cives honestissi-
mi, aliiq; quibus curæ cordique res literaria erat, quin
collato ære, quisque pro re sua ædilium impensas mode-
rarentur. Non possum mihi temperare, quin mentionem
faciam viduæ Schulenburgianæ, Ilse de Salder/ primariæ
matronæ, quæ cum sublevata egenorum inopia magnum
sibi ad posteritatem nomen peperit, tum in extructionem
hujus Gymnasii ipsos quingentos florenos impertita est.
Ut reliquos taceam, quorum nomina, quæ ad D. Martini
asservantur monumenta, posteris prodent. Totius enim
negotii, ut cœptum gestumque est, brevem duntaxat epi-
tomen his paginis extare volui. Interim perfruantur illi
virtutum suarum memoria, ut, cum alibi in sumtibus
hodie

hodie scholasticis fordidi pene, aut, ut levius dicam, nimium frugales homines sint, Brunsvicensibus ea laus propria maneat, avorum impensis rem literariam ibi excelsissime florere. Neque est, cur quempiam, quantum hic operis fiat, poeniteat. Quæ enim Frischlinus docuit, quæ Matthias Bergius, quæ Martinus Hayneccius viri rei scholasticæ peritissimi vestigia sibi premenda censuerunt, iisdem & nos insistimus, & in utriusque linguæ puritate atque elegantia laborum nostrorum proram puppimque consistere æquè omnes arbitramur. Atque eorum nomina, qui ante nostram ætatem, Rectoris partibus functi sunt, forte cupiam volupe erit, instituta recensione in memoriam sibi reprimi. Non tamen licuit mihi, quæ huc pertinent, aut aspicere singula aut indipisci. Prisci certe illi, qui in seculum XV. citius processerunt, quoniam sacro vate & diligenti annalium auctore carent, atra nocte premuntur, posteritatisque memoriæ penitus subducti sunt, nisi in collectaneis Martinianis aliqua forte antiquitatis vestigia supersunt, quæ tamen inspicere nondum mihi contigit. Dabo igitur, quicquid indagare potui.

M. DAVID Ziegenhahn / Brema ob religionem exul, constitutus postea pastor ad D. Andreæ.

M. ANDREAS POUCHENIUS, officium scholasticum commutavit cum sacerdotio Martiniano, factus postea ecclesiarum scholarumque nostrarum Coadjutor.

M. BERNHARDUS ORESTES, invadendo encomio ornatur à Matthia Bergio in præf. carm. dominic. Extat in iis epithalamium eodem auctore ei conscriptum. Forte & inde aliquid decoris ipsi accessit, quod iisdem solennibus, quibus Chemnitio nostro Doctoris ju-

ra & insignia Rostochienses contulerunt, ipse Magister creatus est, idq; anno 1568.

1573. **DAVID PRÆTORIUS**, antea Conrektor.

MATTHIAS BERGIUS, Brunsv. Poeta, Philologus & Philosophus insignis. Ejus ob invecos in religionem Calvinianos errores adversa fortuna omnibus nota est. Discessit Altdorfium, ethicenq; publice docendam accepit.

M. RUDOLPHUS HILDEBRAND, relicta schola, Pastoris Cathariniani partes excepit.

1585. **M. MARTINUS HAYNECCIUS**, Commentarii Terentiani, medullæq; Tullianæ aliorumq; scriptorum auctor. Vocatus ad moderandum ludum Saxonie provincialem, qvi Grimmæ est, Brunsviga decessit.

1588. **NICODEMUS FRISCHLINUS**, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Vir illustrior, quam ut mea Commendatione egeat. Witteberga accitus, provinciam scholæ moderandæ capessivit. Sed paulopost adversarium nactus est D. Michaelem Mascum Reipubl. Brunsv. Syndicum. Qui Calvinianorum partibus studens, cum ægre ferret, suo consilio remoras injici, Frischlino quidem exilium, sibi autem ipsi, cum fraudes patefcerent, vacationem à munere peperit, Zittaviam paulopost, quæ patria ipsi erat, reversus.

1590. **M. MARTINUS BARHEMIUS**, antea Conrektor, sub inaugurationem novæ scholæ officio amotus, functionem ecclesiasticam in oppido Goslariæ & prensavit, & consecutus est.

1595. **HERMANNUS NICEPHORUS**,
Lem-

Lemgovia accersitus, primus novi Gymnasii Rector, publica oratione locum inauguravit die XXIII. Octobr. 1595. Cum nimio studio Rameæ Philosophiæ teneretur, & in veterem optimamq; informandi methodum inclementer quotidie diceret, alienavit à se civium animos, docendiq; munere dejectus, Sufatum sese contulit, ubi istæ nugæ in aliquo pretio erant.

1606. M. CAROLUS BUMANNUS,
Berolino accitus.

1607. M. BERNHARDUS Niederhoff/
Lemgovia vocatus.

1615. CHRISTOPHORUS HAGIUS,
Brunsv. per omnes ordines ad regimen totius scholæ emerfit. Primo Præceptor clasfis sextæ, deinde quintæ, tum tertiæ, deniq; Subconrector, tandem Conrector, ad ultimum Rector, omnem ætatem in pulvere scholastico contrivit. Viribus autem, oculorumq; usu defectus, duodecim ante obitum annis rude donatus est, & in privatis ædibus consenuit.

1628. M. CASPAR SAGITTARIUS,
antea prorektor Naumburgensis, luneburgam vocatus officio decessit, & scholastico ibidem duo ecclesiastica succedente tempore continuavit. Pater Casparis Sagittarii, qui superiori anno fati functus est, cum in Academia Jenensi historiam multos annos magna cum laude professus fuisset.

1641. M. ENNIUS ZIGEMARIUS, Goslariensis, Poëta laureatus, deposito munere Conrectoris, quo in oppido Austriæ Linza functus fuerat, Wittebergam rediit. Inde Brunsvigam accitus, partes Conrectoris in hac schola,

schola, eademq; paulo post in ludo ad D. Johannis Lune-
burgensi excepit. Sed Ampliff. Senatus vocatio huc il-
lum retraxit, moderationemq;ve scholæ Catharinianæ ei
commisit. Paulo ante obitum ad nostram gubernandam
accesfit, sed elapsis 18. hebdomadibus, & vitæ & muneris
statione dimissus est, maximorum virorum epicediis post
mortem honoratus.

1642. M. BARTOLDUS SNELLIUS,
Brunsv. Perfunctus antea Subconrectoris & Conrectoris in
hac schola officio. Multorum stipendiorum veteranus,
cum ubiq; pulcherrimè se gessisset, missionem tandem im-
petravit, partesq; Reçtoris vivus adhuc successori reliquit.

1660. MARTINUS TEIPELIUS, Erms-
lebiensis, Ascania accitus.

Opponit unum quem viris prioribus

Ætas recentis temporis.

1669. M. JOHANNES MORINGIUS,
Ratenoviensis, ex Conrectore ludi Wolffenbuttelenfis, fa-
ctus Reçtor scholæ Walkenredensis. Ejectis autem inde
artium liberalium cultoribus, nostræ regendæ onus impo-
ni sibi passus est, de me aliisque præclare meritis.

1686. M. JOHANNES FRIDERICUS
GELHUDIUS, Halberstad., olim Conrector, & antea
Reçtor ludi Riddageshusani, meusq;ve in utroq;ve Reçtoris
officio antecessor.

Flete diu multis, nunquam satis, accipe acerbum

Gelhudi, ærenum commemorande, Vale.

Liceat hanc seriem concludere carmine Ausoniano:

En ego vos, quos nulla mihi cognatio junxit,

sed fama, & chæra religio patriæ,

Es

Et studium in libris, & sedula cura docendi,
Rectores memoro morte obita celebres.
Fors erit, ut nostros manes sic adferat olim,
Exemplo cupiet qui pius esse meo.

Quod itaq; nostrarum partium est, ut evoluto integro se-
culo memoriam tam insignis, in bonas literas earumq; cul-
tores munificentiae recolamus, producendos in campum
oratorium quosdam ex cœtu scholastico existinavi, quo-
rum ii profectus sunt, ut suo Marte orationes, quas de-
clamitent, conscribant, & sine offuciis sese commendent.
Materiam dabit hodierna rei scholasticæ ratio,

Cui neque apud Danaos usquam locus, insuper ipsi
Dardanide infensi.

Ecquis est, qui non persentiscat fœdissimam ἀντιτέχνησιν,
qua inprimis in philologiam apertè hodie fit impetus.
Quid obstat, quo minus, quod in divortiis olim fiebat, pa-
riter à reliquis artibus, eam contemni, domoq; excludi
quasi arbitremur? *Apage sis. Tuas Tibi res habe. Faceffe hinc
protinus, Domo TE hac indignam judico.* Nemini magis ista
rei literariæ damna innotescunt, quam qui hanc artem
factitant,

Quibus hinc roga, calceus hinc est.
Vaticinatus jamdudum est Caspar Barthius, advers. l. 46. c. 21.
non multum abfore à sua ætate barbariem. Verba digna
sunt, quæ hic legantur. *Nulla erit deinceps posteritas curiosa
humanarum literarum, & redibunt secula in modo abjectam
barbariem, quam non vaticinamur nos, sed coram videmus præ-
sentem.* Post enim trium quatuorve hominum excessum, quis
fuit fere, qui non mallet lucrosas artes sequi, quam genuina
humanitatis studia, etiam reliquiis eorundem jam pene evane-
scentibus.

Eandem cantilenam occinunt alii quoq; grammatici,
inprimis Rhenius, qui multis locis de hac clade conque-
ritur.

ritur. Est proinde, cur DEO inprimis, Tum Amplimo Senatui, reliquisque, si qui forte sunt, Mæcenatibus immortales gratias agamus, quod ruituras artes suo præsidio adhuc suffulciunt. Neque illi, scio, ægrè ferent, institutis ludis, quod exacto seculo Romæ olim fieri solebat, hanc rem à discipulis nostris eo die annoque proponi, quo Gymnasium nostrum, illud bonarum artium delubrum, humanitatis sacrarium, Senatoriæ gloriæ templum superiori ætate solenniter inauguratum est. Comparebunt remotis Cathedris, aperta scena, suo quisque, qui personæ interserviat, habitu induti, adolescentes, in egregiam patriæ spem, rectissimis studiis, optimisque artibus innutriti, quorum seriem jam subjungo.

I. PRÆCO, More Romanorum publica voce ludos seculares indicet, & ad contemplandum auscultandumque Quirites invitabit, *prosa latina*. His partibus fungetur *Johannes Julius Harlessen* | *Giffhorn*.

II. RHENIUS, Fingitur vita tædioque scholastico absolutus, inferos adire, & in concilio Grammaticorum de rei literariæ per Germaniam jactura conqueri, *prosa latina*. Personam sustinet *Joachimus Christophorus CELLARIUS*, *VVunstorpiensis*.

III. PLUTO, in cujus honorem ludi olim seculares à Romanis adornabantur. Quas turbas dederit apud inferos Rhenii oratio, exponet, simulque adventum Frischlini, qui fama ista excitatus facultatem Brunsvigam redeundi, & quo loco res scholastica ibi stet, cognoscendi obtinuerit, indicabit, *prosa germanica*. Quas partes excepit *Hermannus Christophorus Peters* | *Brunsv*.

IV. FRISCHLINUS ex orco redux, per portam Wendenam urbem intrabit, miratusque novos aggeres & propugnacula; quæ hinc inde oculis obversabuntur, *lustrabit*,

strabit. Delatus autem in angiportum D. Jacobi, quo loco supra commemoravimus ludum literarium olim fuisse, frustra scholam quæret, eaque non reperta de iniquitate Brunsvicensium vehementer vociferabitur. Tandem tædio longiusculi itineris affectus, in tabernam vinariam se condet, ubi quinque compotores, mensæ accumbentes, de statu rei scholasticæ percontabitur *prosa latina*. Hanc personam indutus est *Joachimus Schuliz / Brunsv.*

V. TRUCULENTUS, I. conviva, Militem gestu & sermone referens, quæstionem Cachinnis excipiet, & præ studio rei militaris bonas artes hodie omnes jacere, & negligi jactabit, *prosa germanica*. Ejus personæ actor erit *Levinus Otto Lautiz / VVolfenb.*

VI. MERCATOR, II. Conv., suum vitæ genus, societati humanæ utilissimum, præ studiis extollet, quibus nec publica res nec privata multum juvetur, *prosa latina*. Eas partes imposuimus *Henrico Conrado ab Adensstedt / Henrici pronepoti*, quo ædili schola nostra exædificata est, teste tabula superliminari exteriori infixæ.

VII. TRINUMMUS, III. Conv., Utrique conviabitur, eruditosque laudabit, ita tamen, ut Gallicæ linguæ peritia, peregrinatione trimestri, cæterarum autem rerum superficiali duntaxat cognitione omnes censeat. Edifferet hoc gallice *Johannes Philippus Odelm / Forsfeld*.

VIII. HORRIBILICRIBRIFAX, IV. Conv., Novarum methodorum admirator, & artifex, ostendet, philologiam à censu eruditionis male excludi, pessime tamen eam doceri hodie, longe compendiosiori via assequendam, *prosa latina*. Personam geret *Henricus Brandes / Giffhorn*.

IX. CATO *Brunsvicensis*, V. Conv., offensus ineptis istorum judiciis, Frischlinum taberna eductum, huc comita-

mitabitur, ostensoq; per partes Gymnasio studia artium liberalium Brunsvigæ nondum refrixisse, edocebit, *prosa latina*. Partes has sumsit *Christianus Wilhelmus Herjen / Neuhusa Lauenb.*

X. FRISCHLINUS admiratus insignem Brunsvicensium in extruendo ludo literario magnificentiam, in laudes tantæ benignitatis expatiabitur, *versu germ.* Eandem personam, quam supra gessit, referet *Joachimus Schulz / Brunsvicen.*

XI. Subjunget his *carmen seculare* *Philippus Julius Rehtmeyer / Brunsv.* *versu Sapphico* latino comprehensum, & pro patriæ scholæq; salute vota faciet.

XII. EPILOGUM recitabit *Henricus Christianus GEBHARDI, Ipza Gardelegiensis, elegis latinis actisq; gratis* ludum nostrum Mæcenatibus commendabit.

Qui Scholæ nostræ incolumitate gaudent, non poterunt hos juvenum nostrorum conatus moleste ferre. Facite itaq; vel, quotquot patroni fautoresq; rei scholasticæ estis, ut studium vestrum in fovendis bonis literis hoc quoque tempore appareat, nosque hoc ipso die, tam illustri gratiæ vestræ exemplo confirmati, condito primo seculo, alterum faustis ominibus auspiciemur.

Lutherus Tom. II. 460. V. 173.

Es wäre billig/das/wo man einen Gulden gebe/wider die Türcken zu streiten/wenn sie uns gleich auf dem Halse legen / hie hundert Gulden gegeben würden / ob man gleich nur einen Knaben damit könnte auferziehen / das ein rechter Christen-Mann würde. Sintemahl ein recht Christen-Mensch besser ist / und mehr Nutzen vermag / denn alle Menschen auf Erden. Ist nicht dein Pfennig oder Arbeit / so du an deinen Sohn wendest / allzu hoch geehret / allzu herzlich gesegnet / allzu köstlich angeleget / und besser / denn kein Königreich noch Kaiserthum ist / für Gottes Augen gerechnet! Auf denen Knien solte einer solchen Pfennig an der Welt Ende tragen / wenn er wüßte / das er solte daselbst so herzlich und theuer angeleget werden. Und siehe / du hast es in deiner Stadt und in deinen Schopf / daran du es so herzlich kanst anlegen.

06:(0):00

M
1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

